

GRATIAN. Ipsi autem Principibus, & Potestatibus fidem, & reverentiam servari oportet: quam qui non exhibuerit, apud Deum premia invenire non poterit. Unde

XXIV. IDEM HIERONYMUS in Epistola ad Titum, c. 2. ad corf. Servi Domini. [an. 386. in Palestina.]

Si apud carnales dominos in minimo fideles fuerint; incipient eis apud Deum majora committi. Ornat autem doctrinam Domini, qui ea, quae conditioni suae apta sunt, facit: & e diverso confundit eam, qui non est subiectus in omnibus; cui conditio sua displicet; qui contradictor, atque fraudator, in nullo fidem bonam offendit. Quomodo enim potest fidelis esse in substantia Dei, qui carnali domino fidem exhibere non potuit?

XXV. Item AMBROSIIUS in lib. 1. de Patriarchis, id est, de Abraham, c. 3. [c. an. 387. Mediolani.]

Militaris disciplina Regi omnia servat. Dicat aliquis, cum ipse vicerit, quomodo dicit Abraham ad Regem Sodomorum: Nihil sumam abs te, cum preda utique in potestate victoris fuerit? Docet militarem disciplinam, ut Regi serventur omnia. Sanè his, qui secum fuissent in adiumentum fortasse sociati, partem emolumentum tribuendam aserit, tanquam mercedem laboris. Ideoque, quoniam sibi mercedem ab homine non quaesivit; à Deo accepit: sicut legitur scriptum, quia post haec factum est verbum Domini ad Abraham in visu dicens: Noli timere Abraham: Ego protegam te, merces tua multa erit vobis.

GRATIAN. Præterea, sicut Principibus, & Potestatibus fidem & reverentiam exhibere cogimur; ita secularium Dignitatum administratoribus, defendendarum Ecclesiarum necessitas incumbit. Quod si facere contempserint, a communione sunt repellendi. Unde

XXVI. JOANNES VIII. [c. an. 876. Roma.]

Querimonias Ecclesiarum, qui in Dignitatibus agunt, attentius debent audire. Administratores plane secularium Dignitatum, qui ad Ecclesiarum tuitionem, pupillorum, ac viduarum protectionem, rapacitque refrenationem constituti esse proculdubio debent; quoties ab Episcopis, & Ecclesiasticis viris conventi fuerint, eorum querimonias attentius audiant, & secundum quod necessitas expetierit, absque negligentia examinent, & diligenti studio corrigant. Quod si Dei timorem pra oculis non habentes, negligere post secundam & tertiam admonitionem inventi fuerint; omni se noverint communione usque ad condignam satisfactionem privatos.

XXVII. Item HIERONYMUS super Joëlem, ad c. 2. [an. 408. in Palestina.]

Non solum homines, sed & contrariae fortunadines sunt utrices ira Dei. Non solum homines ministri sunt, & ultores ira Dei in his, qui malum operantur (unde non sine causa gladium portant); sed etiam contrariae fortunadines, quae appellantur furor, & ira Dei.

XXVIII. IDEM supra Esaiam, ad c. 13. [an. 406. ibid.]

Qui crudelis jugulat, non est talis, qualis patientibus videtur. Non est crudelis, qui crudelis jugulat: sed crudelis ideo vocatur, quod crudelis patientibus esse videtur, Nam & latro suspensus patibulo crudelium iudicem putat. Minister est Dei, qui Malos percussit in eo, quod Mali sunt. Qui Malos percussit in eo, quod mali sunt, & habet vasa interfectionis, ut occidat pessimos; minister est Domini.

XXX. IDEM super Epistolam ad Galatas, lib. 2. ad c. 3. [an. 386. ibid.]

Udex non est autor sceleris, nequam homines vinciendo. Non scelus admittit iudex, qui homines vincit.

XXXI. IDEM super Jeremiam, lib. 4. ad c. 22. [c. an. 410. ibid.]

Non effundit sanguinem, qui homicidas, & sacrilegos punit. Homicidas, & sacrilegos, & venenatos punire, non est effusio sanguinis; sed Legum ministerium.

XXXII. Item CYPRIANUS libro de exhortatione Martyrii, c. 5. [c. an. 255. in Africa.]

Principes seculi Pessimis parcere non debent. Si audieris in una ex civitatibus, quas Dominus Deus tuus dabit tibi inhabitare te illic, dicens: Fumus, & serotinus dies altis, quos non novisti; interficiens necabis omnes, qui sunt in civitate, cade gladii: Et incendes civitatem igni: & erit sine habitaculo in aeternum: non readificabitur etiam nunc, ut avertatur Dominus ab indignatione tua super. Et dabit misericordiam tibi, & miseretur tui, & observaveris precepta eius. Cujus precepti, & vigoris memor Mathathias interfecit eum, qui ad aram sacrificaturus accesserat. Quod si ante adventum Christi circa Deum colendum, & Idola spernenda, haec precepta servata sunt; quanto magis post adventum Christi servanda sunt, quando ille veniens non verbis tantum nos hortatus est, sed & factis?

XXXIII. Item AUGUSTINUS contra Litteras Petiliani, lib. 2. c. 83. [c. an. 399. in Africa.]

Tribulationum flagellis aliquando perfidia castigatur. AD fidem nullus est cogendus inivitus: sed per severitatem, immo & per misericordiam Dei, tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Numquid, quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur; ideo mores pessimi non Legis integritate puniuntur? Sed tamen male vivendi ultra disciplina praepostera est, nisi cura praecedens bene vivendi doctrinam praetendat. Si quae igitur adversus vos Leges constitutae sunt; non eis benefacere cogimini, sed male facere prohibemini. Nam benefacere nemo potest; nisi elegerit, nisi amaverit: quod est in libera voluntate. Et in ira, c. 84. Cum aliquid adversus vos Reges constituit; admoneri vos credit, ut cogitatis, quare illa patiamini. Si propter justitiam; revera illi persecutores vestri sunt, vos autem beati, qui persecutionem pati propter justitiam possidebitis regnum Caelorum. Si autem propter iniquitatem schismatici velis; quod illi, nisi correctores vestri sunt; vos autem, facite ceteri diversorum scelerum Rei, qui poenas Legibus pendunt, protecto infelices & in hoc, & in seculo futuro?

XXXIV. IDEM in eodem lib. c. 92. [c. an. 399. ibid.]

Injuria Sacramentorum Christi à Regibus est vindicanda. propterea persecutor non fuit Nabuchodonosor, quia scelus in sanctum Danielem commissum iustissime vindicavit; quomodo vindicandum est à Regibus, quod Christi Sacramenta existantur; si Prophetae membra, quia in periculum missa sunt, sic vindicari meruerunt?

XXXV. IDEM in Libro de Unitate Ecclesiae, c. 17. [c. an. 402. ibid.]

Diligentissimi rectores sunt, qui Malos, ut à malo fugiant, persequuntur. Si vos contra Ecclesiam Christi altare erexisse, & à Christiana unitate, qua toto Orbe diffunditur, sacrilego schismate separatos esse, & corpori Christi (quod est Ecclesia toto Orbe diffusa) & rebaptizando, & blasphemando, & quantum potestis oppugnando adversari sancta & canonica Scriptura convincit; vos impij, atque sacrilegi: illi autem, qui vos pro tanto scelere tam leniter damnorum admonitionibus, vel locorum, vel honorum, vel pecuniae privatione deterrandos, coercendisque decernunt; ut cogitantes, quare ista patiamini, sacrilegium vestrum cognunt fugiatis, & ab aeterna damnatione liberemini; & rectores diligentissimi, & consultores piissimi deputantur.

XXXVI. IDEM super Epistolam Joannis, traçt. 7. [c. an. 412. ibid.]

Non amat servum, vel filium, cum non corripitur. Non putes tunc te amare servum tuum, quando eum non caedis, aut tunc te amare filium tuum, quando ei non das disciplinam: aut tunc te amare vicinum tuum, quando eum non corripis. Non est ista charitas, sed languor. Ferveat charitas ad corrigendum, ad emendandum. Si sunt boni mores, delectent: si sunt mali, emendentur.

XXXVII. Item IDEM in Lib. 19. de civitate Dei, c. 16. [an. 426. ibid.]

Innocentis officium est, nulli nocere, & peccantem punire. Non est innocentiæ, parcendo linere, ut in malum gravius incidatur. Pertinet ergo ad innocents officium, non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum; ut ad ipse qui peccator, corrigatur experimento; aut alii terreatur exemplo. Integer locus apud B. Augustinum sic habet. Sicut enim non est beneficentia, adjuvando efficere, ut bonum, quod majus est, amittatur; ita non est, &c. Plectitur. Sic ex originali: antea legebatur, prius odio habetur; nec multo aliter Ivo.

XXXVIII. IDEM ad Lotharium. [fortè c. an. 412. ibid.]

Non est misericors, qui vitis nutriendis parci. Qui vitis nutriendis parci, & favet, ne contristet peccantium voluntatem; tam non est misericors, quam qui non vult cultum rapere puero, ne audiat plorantem; & non timet, ne vulneratum doleat, vel extinctum.

XXXIX. Item HAYMO super Epistolam ad Romanos, c. 13. [fortè c. an. 850. in Saxonia.]

Enormia flagitia per seculi Judices corripiantur. Si unquam enormia flagitia, quae potius per mundi Judices, quam per Antifites, & Rectores Ecclesiarum vindicantur: sicut cum quis interficit Pontificem Apostolicum, Episcopum, Presbyterum, sive Diaconum. Hujusmodi reos Reges, & Principes mundi damnant. Ergo non sine causa gladium portant, qui talia scelera judicant. Sunt enim maxime constituti propter latrones, homicidas, raptos; ut & illos damnet, & alios suo timore compescant. Cor. Rom. In vulgatis citatur ex Augustino, sed in vetustis tribuitur Haymoni, apud quem habetur.

XL. Item CYPRIANUS in nono genere Abusionis. [fortè c. an. 258.]

Furta, & crimina à Rege sint cobibenda. Rex debet furta cohibere, & adulteria punire, impios de terra perdere, paricides, & pejerantes vivere non sinere, filios suos non sinere impie agere. Cor. Rom. Libellus hic de duodecim gradibus Abusionum, impressus est toto nono operum B. Augustini; sed est etiam in uno codice Vaticano Operum B. Cypriani; & in Concilio Parisiensis, lib. 2. c. 1. hoc idem nomen Abusionis genus referunt ex Cypriano, quemadmodum & apud Ivonem, & in Pannormia.

XLI. Item AUGUSTINUS de libero Arbitrio, lib. 1. c. 4. [an. 388. ibid.]

Non peccat, qui ex officio nocentem interficit. Si homicidium est hominem occidere; potest tamen occidere aliquando sine peccato. Nam & miles hostem, & Judex, vel Minister ejus nocentem, & cui forte invito, atque imprudenti telum manu fugit, non mihi videntur peccare, cum hominem occidunt. Evodius assentior. Sed homicida isti appellari non solet. Idem in Questionibus Levitici, quest. 68. ad c. 19. §. 1. Cum homo iuste occiditur, Lex eum occidit, non tu. Cor. Rom. Evodius assentior. Hæc sunt addita ex originali, & Ivone. Est enim Liber ille scriptus in Dialogo.

XLII. Item PELAGIUS Papa. [Valeriano Patricio c. an. 557. Romæ Ravenann.]

Non qui ad bonum, sed qui ad malum cogit, persequitur. Non vos hominum vaniloquia retardent, dicentium, quia persecutionem Ecclesia faciat; dum vel ea, quae committuntur, reprimunt, vel animarum salutem requirunt. Errant hujusmodi rumoribus fabulatores. Non persequitur, nisi qui ad malum cogit. Qui vero malum vel factum jam punit, vel prohibet ne fiat; non persequitur iste, sed diligit. Nam si, ut illi putant, nemo nec reprimendus à malo, nec retrahendus à malo ad bonum est; humanas & divinas Leges necesse est evacuare, quæ & Malis poenam, & Bonis premia iustitia suaudent constituent. Malum autem schisma esse & per exteras etiam Potestates hujusmodi homines debere opprimi, & canonice Scripturae auctoritas, & Paternarum regularum nos veritas docet. Quisquis ergo ab Apostolicis divitis est scibus, in schismate eum esse non dubium est; & contra universalem Ecclesiam altare conatur erigere. Sed quid de talibus infertus Calchedonensis Synodo canon statuat, Gloria vestra consideret, ubi post alia sic dicit. Qui à communione scilicet suspendit, & collectam facit, & altare constituit, & noluerit vocanti Episcopo consentire, & noluerit eidem acquiescere, neque obedire primo & secundo vocanti; hunc omnino damnari, nec unquam vel orationem mereri, nec recipere eum posse honorem. Si enim permanserit turbas faciens, & seditiones Ecclesiae; per extera potestatem tanquam seditiosum comprimere. Et Beatus Augustinus de talibus dicit. Multa etiam cum inivitis benigna quadam asperitate plebendis agenda sunt, quorum potius utilitati consulendum est, quam voluntati. Nam in corripiendo filio, quantumvis asper, nunquam paternus amor amittitur: fit tamen, quod nollet, ut doleat, qui etiam inivitus videtur dolore sanandus. Ecce videtis, quemadmodum tanti testimonio Patris non persequatur coercendo talia, sed diligit emendando tales semper Ecclesia. Facite ergo etiam vos, quod scientes intentionem Christianitatis vestrae frequenter hortamur; & date operam, ut alia fieri ultra non liceat: sed etiam (quod vobis facillimum esse non dubito) hi, qui talia praesumpserunt, ad piissimum Principem sub digna custodia dirigantur. Recolare enim debet Celsitudo vestra, quid per vos Part I.

Deus fecerit tempore illo, quo Isriam, & Venetias tyranno Totila possidente, Francis etiam cuncta vastantibus, non ante tamen Mediolanensem Episcopum fieri permittitis; nisi ad clementissimum Principem exinde retulissetis; & inter ubique ferventes hostes, Ravennam tamen, & is, qui ordinabatur, & is, qui ordinaturus erat, providentia Culminis vestri deducti sunt.

Cor. Rom. a. Insuper Calchedonens. Actione quarta Concilii Calchedonensis, in Epistola Archimandritarum ad ipsum Concilium pro rehabilitatione Dioscori, citatur canon quintus Concilii Antiocheni: & eodem ferè modo habetur in ea Epistola, atque hic refertur. Cum neutra tamen antiqua versione ipsius Concilii magnopere concordat. Vel orationem. In utroque Concilio, id est, Antiocheno, pricae versiones, & Calchedonensi legitur, curatorem. Græcè enim est, καὶ ἡμεῖς διακονοῦντες τῷ πνεύματι.

XLIII. IDEM Narise Patricio, & Duci in Italia. [an. 556. Roma.]

Schismaticos, & Hæreticos seculi Potestates coercerant. DE Liguribus, atque Veneticis, & Histris Episcopis quid dicam? quos idonea est Excellentia vestra & ratione, c. 196. & potestate reprimere, & dimittere eos in contemptum Polyc. 1. 7. Apostolicarum sedium de sua rusticitate gloriarum: cum, si quid eos de iudicio universalis Synodi, quod Constantinopoli per primam nuper clapsam indictionem actum est, forte movebat, ad sedem Apostolicam (quomodo semper factum est) electis aliquibus de suis, qui dare & accipere forent potestatem, dirigere deberent; & non clausis oculis corpus Christi Dei nostri, hoc est, sanctam Ecclesiam lacerrare. Nolie ergo dubitare hujusmodi homines Principali, vel Judiciali auctoritate comprimere: quia regula Patrum hoc specialiter constituerunt, ut si qua Ecclesiastica officii persona, subiectus est, restiterit, vel seorsum collegerit, aut aliud alare erexerit, seu schisma fecerit, sit excommunicatus, atque damnatus. Quod si forte & hoc contempserit, & permanserit divisiones & schisma faciendum; per Potestates publicas opprimatur. Ecce Domine, quod animus vester forte timidus est, ne persequi videaris; de animus Patrum vobis auctoritate hæc breviter dirigenda curavi; cum mille alia exempla, & constitutiones sint, quibus evidenter agnoscitur, ut facientes scissuras in sancta Ecclesia, non solum exilis, sed etiam proscriptio rerum, & durâ custodia per publicas Potestates debeant coerceri.

XLIV. Item PELAGIUS. [eidem an. 556. ibid.]

Ab Ecclesia unitate divisi, à secularibus Potestatibus coercerantur. Quali nos de Gloria vestra studio iudicio gratulamur, non solum vestram, sed multorum ac penè omnium credimus habere notitiam; & idcirco nunc de his, quæ vobis presentibus ibi fieri stupemus, fiducialiter apud gloriam vestram duximus conquerendum. Thracius, atque Maximilianus nomina tantum Episcoporum habentes, & Ecclesiasticam ibi unitatem perturbare dicuntur, & omnes Ecclesiasticas res suis usibus applicare: intantum ut contra unum eorum, id est, Maximilianum usque ad nos per tam longum iter, necessitate compellente quidam insatiabiliter venientes, preces offerrent. Ob quam causam Petrum Presbyterum Sedis nostrae, sed & Projectum Notarium ad eadem loca duximus destinandos; ut ea, quæ Canonice statuta à predictis Pseudoepiscopis competerint commissa, vel digna debeant ibi ultione compescere, vel eisdem ad nos usque perducere. Et ideo salutantes paterno affectu gloriam vestram, petimus, ut praefatis, qui à nostra Sede directi sunt, in omnibus praebeatis auxilium: nec putetis alicuius esse peccati, si hujusmodi homines comprimantur. Hoc enim & divina, & humanae Leges itauerunt, ut ab Ecclesia unitate divisi, & ejus pacem iniquissime perturbantes, à secularibus etiam Potestatibus comprimantur. Nec quidquam majus est, unde Deo sacrificium possitis offerre, quam si id ordinetis, ut hi, qui in suam, & aliorum perniciem debacchantur, competenti debeant vigore compesci.

XLV. IDEM PELAGIUS Papa Joanni Patricio. [imò Narise Patricio, an. 556. ibid.]

Iniquitas Pravorum, quamvis Bonis proficiat, tamen punienda est. Elegentes literas Excellentiae vestrae, de injuria iudicem, quam vobis iniquorum hominum praesumptio ingessit, valde dolimus. Sed quia scimus occulto Dei iudicio animam vestram, etli per aliorum iniquitatem, & superbia, à contaminatione schismatici custoditam; egimus omnipotenti Deo gratias, qui etiam de malis hominum actibus bona operari consuevit. Nec enim sine illius providentia factum esse credendum est; ut insensati, & perversi homines ad hoc usque profilerent, ut suam divisionem, Catholicam esse credentes Ecclesiam, à sua vos pollutione prohiberent. Sic enim per misericordiam Dei etiam nescientibus illis hoc factum est; ut à schismaticorum factione eruti, Catholicae, quam diligitis, iniquitate.